

216  
220

Epistola Consolatoria,

Ad

*Amicum Certissimum,*

HENRICUM PROCHNAVIUM,

Lipsiæ sacris literis incumbentem,

*Qua Matris suæ*

MARIÆ PROCHNAVIÆ

*Matronæ multa pietate Conspiciæ*

*rarique exempli Fæminæ*

*inopinatus obitus significatur.*

*Festinanter concinnata & transmissa.*



THORUNII,

Impressit JOHANNES LUD. N<sup>o</sup>

Amice Exoptatissime!

**T**Risti admodum ante hoc triennium mihi, cum Halæ Magdeburgicæ literis operam navassem, nuncio Lipsia approperasti; Sororem germanam eamque charissimam pariter ægram pariter decessisse denuncians. Infelicissimus pro! & ego jam tibi absenti ac imminentis cladis nescio, quod vel maxime dolorem exulcerat, obitum inopinum Matris Optimæ ac Desideratissimæ per literas refero. Cogito, quam magno id dolori Tibi sit pro flagranti illo affectu ac pietate, quæ mutuo vos complectebamini, eo maxime, quod nec euntem in finem suum videre, nec satiari aspectu novissimo, ne obire quidem solennia pietatis præsentis licuerit. Majus namque habetur solatium in illo, quem lenti ac leviori morbo paulatim consumptum morbus ipse conficit, ubi decumbenti ex valetudine asfidere, ægritudinem Ejus pernoscere, dolori etiam spe & metu consvescere datur, quam in illo, cui repentina mors & tanquam immatura elidit spiritum, ubi vix ipse se sentit mori.

Et qui sunt circa eum, attoniti rem prope intelli-  
gunt. Inconsolabile prorsus ac durum existima-  
veris, quem faustis omnibus cogitaveras jamjam  
conveniendum, hunc ex insperato, dum maturas  
iter, infausto nuncio mortalium cœtui audire  
exemtum. Sane ex illo gaudio, quod paulo ante  
conceperat, subito residet animus, & quem plenus  
lætissimæ spei ac fiduciæ dimiserat, recipit luctum.  
Eheu quam magno anhelavit gaudio Mater Tua,  
quum Te reducem brevi hilari mente amplexu-  
rum recordabatur! nec minus mortis habuisset  
solatium, si quoque in Tuo, Filii Dilectissimi, com-  
plexu spiritum ponere contigisset. Multo deside-  
rio Tui moribunda languebat, næ & Tu interesse  
vel ultimis sermonibus deficientis optaveris, eo  
magis quo propius accessisti ad spem fruendi.  
Geminatur inde luctus, superantur tanta jactu-  
ra ipsa, quæ Tibi adhiberi possunt, solatia, &  
frustra forte afferuntur, cum dolor adhuc crudus  
sit & nulla sui parte lenitus. Erat quidem &  
annis jam & corpore gravis, quinquagesimum

quippè

quippe excessit, nec satis firma valetudine  
usa est. Sed & Parentes vietos aut annis  
fractos viribusque exhaustos & sibi ipsis graves,  
bonæ indolis Filii deplorant, dum amorem & me-  
rita sibi grata mente revocant in memoriam. Ma-  
tronam certe in exemplum emendatæ vitæ natam  
dixerim, multa pietate virtuteque sexus sui con-  
spicua, quæ nihil prius, antiquius nihil habebat,  
quam ut anima viduata olim corpore, quo nunc  
recepta est loco locaretur. Morbus quo vitam finiit apople-  
xia erat, qua tacta paulo post extincta fuit: Ergo neces-  
sitatæ ultimæ legem subiit subito, quam alii inter diurnos ac  
varios cruciatus anxie satis expetunt, adeoque non tam mori,  
quam somno decedere videbatur: Proinde revoca suppres-  
sum fere spiritum, & quibus tutissime acquiescere poteris,  
è Verbo DEI, Ipse Sacrarum literarum Studiosissimus, pete  
solatia, quorum sensum dolori, quem sentis gravissimum, resi-  
stendo parem apprecor, simul ac Spectabili Domino Parenti  
& Propinquis vitam, quam late potest produci vivendo, lon-  
gissimam roveo, ut nullus porro Familiam tuam funestet lu-  
ctus divinum Numen oro obsecroque Vale ex voto & age  
feliciter, atque optimarum rerum notitia probe imbutus tan-  
dem sospes redi. Scribebam Thorunii, XV. Kalend.  
Decembris MDCCIX.

113647